

vixerunt, ut in monasterijs jugiter resideant; omnes in dormitorio dormiant; ijsq; in refectorio comedentibus, & religiose silentium tenentibus, continuatim legatur lectio. Et cap. XI præcipitur Abbatissis, ut monasteria puellarum undiq; firmissimis circumdenti munitionibus, ut nulli nisi per portam pateat aditus. Cap. 18 modus statuitur coercendi intra septa monasterij sanctimonialium incorrigibilem, quia nullatenus huic tali seculum repetere fas est. Qualia utiq; non conveniunt ijs, quæ seculares Canonice dicuntur: ut merito hic dicat Brouverus, sed ἐπέχω. Si igitur omnibus sanctimonialibus canonicè degentibus, hanc regulam indubitanter observandam proposuit Ludovicus Pius Imp. in Capitulari anni 816 cap. 3; Capitularium lib. 1 cap. 79. & Additione 3 cap. 3. in edit. Steph. Baluzij. Vide Tom. VII Conciliorum Ph. Labbei & Gabr. Cossarij, col. 1406 & seqq. Pro hujusmodi etiam virginibus Canonicis regularibus S. Meinulphus anno 816 licentiam accepit adificandi monasterium in Aquilgranensi concilio, velut notat Severinus Binius ad hoc concilium: ut proinde votum condendi monasterij anno demum 836 Cenomanis nuncupasse temerè dicatur S. Meinulphus.

Cap. X. Inter cornua ] In Bodecensis templi medio psallentium choro visitur monumentum lapideum quadratum, duorum altitudine, trium fere pedum latitudine; huic imposita lamina ærea exhibet effigiem S. Meinulphi cum hac perigraphæ: Anno Domini MCCCCLXXXII translatum est summum

EE 2

altare